

2



Ex Bibliotheca  
majori Coll. Rom.  
Societ. Jesu

151  
D  
20

K

B 23



VITA  
B. IOANNIS  
CHISSI  
A MACIARETTO,  
ORD. EREMIT. S. P.  
AVGVSTINI.





VITA  
B. IOANNIS  
CHISII,  
ORD. EREMIT.  
S. P. AVGVSTINI.  
ad  
Ill<sup>l</sup>trium & R<sup>o</sup>mum  
DE FABIVM CHISIVM  
NVNT. APOSTOL.

ANTVERPIÆ,  
Apud Henricum Aertssens  
Anno 1641.  
E. Dierckx fecit. P. de Wit sculpsit.





Reuerendissimo & Illustrissimo  
DOMINO  
FABIO CHISIO,  
EPISCOPO  
NERITONENSI

*Et ad tractum Rheni cum pote-  
state Legati à latere*

NVNTIO APOSTOLICO.



R<sup>me</sup> ET Ill<sup>me</sup> DOMINE,



PTANDVM fa-  
nè nobis erat,  
vt hic Libel-  
lus, & B. IO-  
ANNIS, cuius vitam exhi-  
bet, sanctitati par, & Chi-  
sio genere, cuius nomen in

\* 3

fron-

fronte præfert, paullo dignior appareret. Tunc enim longè audaciùs hominum ora perambulare, neque ad Te, ceu paruus olim Telemachus ad magnum Nestorem, tanto cum metu & pudore iret. Quod tamen nequaquam sine causa illi accidit, qui omnia in te incredibilia, & supra communem virorum etiam maximorum sortem inesse audit videtque. Primò ingenium longè capacissimum, quodque instar Mercurij, iam pridem omnes haufit, imbibitque scientias. Quod  
in

in celeberrimo Senensi Athenæo satis ostendisti, vbi non in Philosophia modò, sed & in vtroque Iure, & Theologia doctoralem lauream, mirantibus gaudentibusque eruditis omnibus, adeptus es.

*Neque enim ceu nescia falcis*

*Sylua comam tollit, fructumque expirat in auras;*  
sic primos vitæ annos lasciuia & licentia effluere permisisti: sed natura optimâ, prouidisque ducentibus parentibus

*Tam tibi Pieriæ tenero sub pectore cura,  
Discendi que vices, & amor.*

Vnde contigit, vt in maxi-  
\* 4 mtum

mum virum illicò creueris,  
quem continua rerum am-  
plissimarum negotia , ceu  
cælum indefessa actio exer-  
cêre , fatigare nulla potue-  
runt. In quibus , ne, veluti  
Poëtæ gigantes fabulantur,  
simul fatus ac prouectus vi-  
derêris, diuino Urbani VIII.  
Pontificis Opt. Max. con-  
silio, primùm variis, ijsque  
minoribus legationibus, of-  
ficijsq; admotus es, vt post-  
modum crescente, cum vi-  
uacissimo ingenio , rerum  
maximarum experientiâ ,  
ad nobilissimas iuxtaq; tur-  
bulentissimas Germaniæ  
par-

partes, cum amplissimâ potestate, mittereris; vt nempe comitibus prudentiâ & sapientiâ gentes inclytas, quę sicut Salamandra in igne, sic illę in perpetuis Fidei dissidijs, funestisq; armorum conflictationibus viuunt,

*(Tanrum Religio potuit suadere malorum)*

componere, & putres corruptosque sequioris huiuscę sæculi mores, miti authoritatis Tuę malagmate, sanare valeas. Vbi quid rerum præstiteris, nescimus, si velimus, quonam pacto id à nobis referri possit. Si enim parcę illud attige-

ri-

rimus , liuenti fimiles erimus ; si iustè persequamur, erimus proximi blandienti. Vnde, quæ singularis animi Tui submissio, arctissimo fatius ducimus ea silentio inuolui , quàm in hanc scenã adduci, qui optas bonus esse potius, quàm à nobis dici, vel ab alijs videri. Porrò si Maiores Tuos intueamur , quæ gens inter præcipuos magnæ Hesperie proceres , illis vel prælustrior , vel generosior , vel copiosior ? aut quæ illi domi forisque præclarè & fortiter non fecère ? Quæ sigil-

gillatim recensere , esset ,  
quod aiunt , Libycas are-  
nas enumerare velle. Qua-  
propter nolumus hîc in me-  
dium adferre Anselmum ,  
B. nostri IOANNIS auum ,  
virum equestri dignitate  
clarum , quiq; pro suâ Rep.  
strenuam Frederico Imp.  
arma per Italiam mouenti ,  
operam præstitit. Nolumus  
Ranucium producere , hu-  
iuscè Anselmi patrem , al-  
iosq; fortes & inuictos prio-  
rum temporum Dynastas ,  
qui quatuor & multò am-  
plius abhinc sæculis , stir-  
pem , patriam , decus , atque  
glo-

gloriam tot adoreis ; atque  
immortalibus facinoribus  
insignierunt, vt nemini ve-  
terum virtute, ac rerum ge-  
starum magnitudine secun-  
di esse videantur. Neque  
volumus Angelam Chi-  
siam, eiusdem B. IOANNIS  
ex Augustino germano  
neptem, commemorare,  
quæ iugalibus tædis extin-  
ctis, tota in Deum exarsit,  
habitumque S. P. N. Au-  
gustini accepit, multisque  
Ordinē beneficijs sibi mi-  
rum in modum deuinxit.  
Quod etiam ab illius po-  
steris semper huc vsque ita



preclare , & quasi prodigè  
factum , vt nullum propè  
Augustiniani instituti, siue  
Senis , siue Romę sit Asce-  
terium (& sunt illic quàm-  
plurima ) in quo pietatis &  
deuotionis Chisïæ publica  
& exquisita non extent mo-  
numenta: quasi priorum li-  
beralitas pietate sequen-  
tium vinci gaudeat, & aui-  
ta munificentia

*dextre exultet cecisse nepotum.*

Denique stat Augustinum  
Chisium , indictum et-  
iam relinquere ; Heroem  
suo sæculo & potentissi-  
mum , & religiosissimum.

Is

Is semel festo S. Augustini die, quem annuè ceu tutelarem & patronum suum, munificentissimis in egenos eleëmofynis, & eximio Christianæ religionis cultu sollemniter celebrabat, Leonem X. cum plurium Cardinalium eminentissimo Collegio, Romæ in porticu, quæ supra Tiberim pensilis & regiè ornata erat, magnificentissimo & splendidissimo excepit conuiuio. In quo hoc verè basilicum, atque iuxtà Poëtarum & Historico- rum illius æui calamo mirè  
ce-

celebratum, quod omnia ex  
argento vasa dum è mensâ  
amouerentur, sparsis pau-  
peribus & plebeculæ esu-  
rienti, quæ supererant, fer-  
culis, statim ea in fluuium  
deijcerentur, vbi erant cer-  
tæ dispositę custodię, & re-  
tia ad illa excipienda. Exi-  
mium equidem & propè  
inauditum in hominè no-  
bili & opulentia & magni-  
ficentiæ monumentum; il-  
lam nempe vasorum ex ar-  
gento ei copiam ac propè  
luxum fuisse, vt maximè  
opiparo & pontificio suffe-  
cerint epulo, absq; eo quod  
eadem

eadem denuò lota ( vti af-  
fölet ) in eadem menfa re-  
ponerentur. De cuius Au-  
gustini munifico admo-  
dum & liberali animo ita  
præclare Scaliger, vbi He-  
roas collaudat;

*Priuatus reges superat; spes prauenit omnes,  
Quæq; facit populus maxima vota Deis.  
Hunc magnū, ast vnū fecit fortuna petentē:  
Hic omnes, etiam qui bona nulla petunt.  
Scribens deficio, dando non deficit. Vnum  
Hoc sat habet, si se scit retinere sibi.*

Hæc, inquam, omnia nolu-  
mus recensere, neque pa-  
ce belloq; claros ex Tua fa-  
milia alios hîc exponere,  
qui neminem videmus cla-  
rio-

riorem, quàm Te ipsum, ne-  
minem, à quo exemplum  
petere valeas, quàm à Te-  
ipso, neminem ijs dignum  
præconijs, vti Te ipsum. Te  
inspiciamus, Te laudemus,  
Te efferamus oportet, si  
quem ritò laudare volueri-  
mus.

*Queris Alceidæ parem?*

*Nemo est nisi ipse.*

Nisi fortè B. hunc I O A N-  
N E M, gentilem tuum,  
virtutum, & monasticæ  
perfectionis exemplar ab-  
solutissimum, neque pris-  
cis, ijsque sanctissimis Ana-  
choretis multò inferiorem,

A

ex-

excipias : quem obscuris  
silentij erutum tenebris ,  
sacrae Tuæ Purpuræ auspi-  
cijijs, hodie publicæ luci da-  
mus , vt sub Illustrissimi  
Nominis Tui vmbra, quasi  
sub Aiacis clypeo , eorum  
qui inclementer etiam san-  
ctiores solent impetere, lin-  
guas & spicula , si quæ for-  
tè insurgant , auertere &  
contemnere valeat. Accipe  
itaque *Illustrissime, ac Re-  
uerendissime Domine*, læ-  
to benignoque , si placet ,  
vultu munusculū hoc rea-  
pse quidem perexiguū ,  
at affectu cultuque , quem  
Au-

Augustiniani , quanti illi  
per orbem terrarum sunt ,  
Tibi , & CHISIÆ nobilissi-  
mæ Tuæ debent familiæ ,  
longè maximum, eumque  
Ordinem semper amare ,  
tueri , ac fouère perge , qui  
à gente Tua, inter immor-  
talia, eaque innumera plu-  
ria alia beneficia , Beatissi-  
mum hunc quoque surcu-  
lum olim in suo vireto me-  
ruit recipere, eumque omni  
virtutum specie florentem  
educare. Atque, vtinam ,  
vti agnatus hic Tuus, dum  
omnium minimus in terris  
esse cupit maximus superos

inter postea effectus est :  
ita, *Illustrissime Demine*  
à maximis laboribus , pro  
Dei cultu & honore , forti-  
ter exantlatis , breui in pa-  
catissimo atque eminentis-  
simo loco acquiescas, donec  
laureis opimus , felicissima  
huius Indigetis , in æter-  
num perennatura beatita-  
te , societate perfruaris.

*Conuentus Eremitarum S. Patris*  
*AVGVSTINI, Colon. Agrippinae.*



VITA

B. IOANNIS CHISII,

A MACIARETTO


ORDINIS EREMITARVM

SANCTI PATRIS

AVGVSTINI.

CAPVT PRIMVM.

*Prefatio.*

1.  VIT Augu-  
stiniana Ere-  
mus, ex quo  
coli coepta,  
semper viro-  
rum non doctrinâ modò, sed  
& sanctitate celebrium lon-  
gè feracissima. Naturæ simili-  
A 3 lis,

lis, quæ vbi ab integris, absolutisque causis progressa est, ad illas, velut ad suum principium, postea semper recurrit, eisque ceu authori suo, pressim insistit: ita illa ab sanctissimo iuxta ac doctissimo Parente orta, eiusdè virtutes, quæ multò maximæ fuerunt, proximè assequi semper elaboravit: ex quo etiã, velut indefesso sinu, nunquàm non sanctimonix ac eruditionis laude viros permagnos sustulit. Maximè verò prioribus sæculis, quandoquidem debemus ingenuè fateri, ad præclara, & generosa virtutum facinora, posterioribus temporibus, prisca longè

gè magis & propensa & fœcunda fuisse.

2. Quòd autem non vsque adeò plures ex eorum albo nobis innotescant, id profectò ruditati, quæ tunc extitit imputandum, vti & Ascetarum simplicitati. Cum enim in siluis, alijsque ab hominum consortio disitis locis passim degerent, malebant viri integerrimi Deo in secreto placere, ei que inhærere, quàm nescio quibus orationum flosculis, virtutes, quibus abundabant, luce palàm efferre easque in vulgus venditare.

3. Vndè non adeò multa ad nos peruenêre, ea que non satis expedita, aut ornata: & quæ

8 *Vita B. Ioannis Chisij.*

eam planè redolent antiquitatem quæ fusca suapte natura & densis quasi obsita nebulis existit.

4. Porrò inter eos, qui in sacra illa *Eremo* floruerunt, visum est operæ pretium hunc B. IOANNEM ex antiqua, & prænobili Chisiorum familia tipis hisce dare nostris in regionibus, & meliore quasi in lumine collocare, vt splendore suo maiore sit alijs ad sanctitatem incitamento. Honorabitur fortasse, aliquando sanctæ Sedis decreto, eo Beati titulo, quem ducentos antè annos à populorum veneratione, à publicis picturis, ac præcipuè in peristilio Ilicetani  
Con-

*Ord. Eremit. S. Augustini. 9*

Conuentus, à probatorum scriptorum testimonijs accepit; B. scilicet Philippi de AGAZZARIA, qui anno M. CCCCXI. Venerab. Bernardi Monaldi, qui anno M. DXLVII. huius viri vitam descripsere pijs lucubrationibus, quæ asseruantur adhuc in Ilicetano Archiuio; & recentioribus temporibus adm. Reu. Ambrosij Landucij in publice impressa Ilicetana sacra Propagine: ex quibus nostri ordinis Religiosis & nos hæc omnia fideliter hausimus.

C A P V T S E C V N D V M.

*B. IOANNIS Patria & natales.*

1. S E N I S, quæ primaria Etruriæ  
S C I U I T A S est annum circiter

M. CCC.

M. CCC. patre Chisio, auo Anselmo, atauo Ranuccio Maciaretidomino propè idem Castrum decimo ab vrbe lapide oritur Ioannes. Consueuerant enim Nobiles illis temporibus, & in Italia, castra sua, arcesque inhabitare antequam in potentioris Reipublicæ formam Senas sese redigerent; vbi & Nobiles Comitatus appellabantur. Pronuntiant verò Tusci dialecto sua cognomina Chisium, Dionysium, Aloisium, Chigi, Dionigi, Aluigi vulgari sermone. Hosce igitur claros piosque B. Ioannes sortitus est Maiores, quos Castrum à quo nomen habebant Maciaretum

ciaretti, ac postea in Hercu-  
leo Portu, alijsque, tum in di-  
tione Pontificia, cum Nea-  
politano regno, oppidis, am-  
plissimè dominatos fuisse po-  
puli illius annales testantur.  
Neque illi domi forisque so-  
lùm illustres, neque tantùm  
togâ sagoque clari, sed, quod  
multò ampliori laude dig-  
num, Summis Pontificibus  
semper officiosi fuerunt, stre-  
nuamque firmiter operam,  
cultum, & obseruantiam er-  
ga Sedem Apostolicam con-  
tinuò exhibuerunt; ex quo  
singularis gentis illius pietas,  
illustris animus, & stemma-  
tis antiquitas dignosci potest.

*Parentibus  
illustribus.*

Porro

Porrò vetustissimum familiæ illius castrum, quod non adeò procul à balneis eiusdem nominis cuidam tumulo assurgebat, eratque cum alijs in proximo pagis, ditionis nobilissimæ huius familiæ; à quo etiam illa suum cognomen mutuata est, his temporibus, nescio quo fortunæ, aut bellorum turbine, vnà cum illis ipsis balneis, planè euersum, & solo adæquatum est.

2. Ab hac itaque stirpe, ceu generosus frutex, ortus Ioannes, nihil poterat nisi magnum & sublime, ætate postmodū firmatâ, polliceri: vt enim in arboribus flos qui  
ini-



initio præfertur, quo nihil ne-  
que aspectu iucundius, neque  
delectatione suavius, signum  
est, vbi Autumnus aduenerit,  
fructuum: ita ineuntis ætatis  
quidam gentilis vigor, atque  
à Maioribus quasi insita ani-  
mi magnitudo, futurarum  
postea in homine virtutum  
certissimum argumentum est.

3. Sed vt adolescentiæ fre-  
tum admodum, de more,  
tempestuosum est; ita in pri-  
mo illo vitæ æstu, ac feruore  
paululum à recto quasi tra-  
mite abreptus est, atque in  
vada, & scopulos, Iuuenis  
probæ aliàs indolis, modi-  
cum temporis impegit, ani-  
mus-

*Adoles-*  
*cens*  
*vixit*  
*paullo*  
*dissolu-*  
*tior.*

musque illius, velut Polemonis, grauiissimi quondam Philosophi, in malo aliquamdiu potius peregrinatus est, quàm habitauit. Neque enim, positâ prætectâ, aliæ videntur illi curæ fuisse, quàm venationes, atque aucupia. Commune nobilitatis vitium, quæ ubi ex ephœbis excessit, illicò, ni coërceatur, istis ita detinetur, vt prius in agris & syluis malit agere, quàm cum suis coæuis pro virili in litterarum studia incumbere. Nihil hoc ex vero aureum Græcæ eloquentiæ os olim animaduertit; *Adolescentibus in ludo litterarum positis, non tam*  
*pla-*

B Io-  
 annes  
 Chry-  
 sost. in  
 Prol.  
 supra  
 Matth.

placent solida, quàm picta, quæ-  
que potius pulchra, quàm vtilia  
sectantur. Nec tam agentia dili-  
gunt, quàm sonantia; magis gau-  
dent foliorum amœnitate aspergi,  
quàm fructuum vtilitate nutriri.

4. Et quàm rectum ad be-  
nè & sanctè iuventutem for-  
mandam, alter, Latinæ si-  
mulque Christianæ eloquen-  
tiæ flumen, præceptum da-  
bat: *Nihil adolescens aliud dis-*  
*cat audire, vel loqui, nisi quod per-*  
*tinet ad timorem Domini, turpia*  
*non intelligat, cantica mundana*  
*ignoret; adhuc tenera lingua psal-*  
*mis dulcibus imbuatur. Procul sit*  
*lasciua puerorum; puella, & pe-*  
*dissequæ ab eorum consortijs arce-*  
*antur.*

D. Hic.  
ron. e.  
pist. de  
instit.  
fi.

*antur.* Salubria profectò , & plusquam ex tripode hauſta, ſi ætas illa tam ex vero admoneri , quàm ex facili ſaniora vellet amplecti.

### CAPVT TERTIVM.

*Adoleſcens paullo vixit liberius.*

*Cum  
atate  
creue-  
runt  
vitia.*

1. **I**Taque in illâ incipientis æui lubricitate, vti oſtendimus , paululum prolapsus eſt Ioannes Chiſius. Utque ſenſim adoleſcebat, ita ſenſim alia, atque alia ſimul cum illo vitia adoleſcere, & quaſi firmiorem gradum figere cœperunt. Nempè Iuuenum ingenia, quæ virtutibus vacua,

vitijs semper luxuriant, veluti cessante cultu ager, quem probâ semente onerare si cessaueris, sponte suâ spinis alijsque prauis herbis sese exhauriet. Accedat autem cultura, miros in prouectiori æuo fructus facient: & quamuis aridi & sterilis ingenij, tamen inter tesqua & confragosa, vindemia fluet. Quippè nihil adeò improbum, nihil ita malignum, quod ars, laborque, & exercitatio corrigere, & perficere non valeant.

2. Porrò quo modo eum, in optimâ parentum educatione, vti par est nos præsumere, ita abreptum dicemus,

B

nisi

nisi eo ipso, quo in dies eiusdem ætatis, & fortunæ adolescentibus alijs ubique solent in peiora abripi? Per impura scilicet saltationum genera, & plusquam Gaditanas mimorum nequitias, quæ sine ullâ arte, quam antiquitas in illis existimauit, & professâ est, modò exhibentur, neque præter puram ac certam morum corruptelam aliud continent.

*Vnus & alter*

*Iuu.  
sat. 14.*

*Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus, arte  
benigna,*

*Et meliore luto finxit præcordia Titan:*

sed reliquos ducunt, rapiuntque deprauati mores, &  
iam

iam pridem inolita deterioris  
vitæ licentia,

*Et monstrata diu veteris trahit orbita culpa.*

Cui rei si accedat improbo-  
rum consuetudo ( & hi nuf-  
quàm non obuij, & plures pas-  
sim, quàm, vt ait Comicus,  
*magno vento plenum est vndarum* Plaut.  
*mare* ) quæ in illo articulo Mil.  
flammæ, quæ incendia non Glo-  
excitantur? riof.

3. Latent, quasi sub cinere,  
plerique nobis innati vitio-  
rum fomites, vbi abest, qui  
ea primitus excitet: neque  
foras facilè erumpunt in eo,  
qui ab istiusmodi spectacu-  
lorum improbitate, qui à fla-  
gitiosorum familiaritate se-

iunctus est. Pacatissimo lapsu ab ipso fonte currunt per se flumina , vbi verò incubuerunt venti , vbi liberio rem quasi viam nacta sunt , mox indignantur, sæuiuntque atrocissimè : & mitissimum antè elementum, atque instar olei quietissimum, tunc quasi leoninas in iras exasperatur. Ad eò quod Sapiens dixit: *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam*; ego id non modò de mulierum consuetudine , sed de omni etiam improborum societate , ac familiaritate verissimè dictum putem.

*Eccli.*  
25.

4. Et quemadmodum Demostenes



stenes pronunciationem primum, secundum, ac tertium in eloquentiâ respondit esse, ita præcipuam in ea partem sitam esse arbitrabatur: eodem prorsus modo non ineptè forsân dixero, in eo qui vitam purè & innocenter vult ducere, primum, secundum, & tertium esse nunquàm improbis admisceri. Siquidem iuuenum nunquàm non ad peiora procliue est ingenium; statimque perniciosum arripit exemplum:

*Vnaq; conspectâ liuorem ducit ab vnâ.* *Iun. sat. 2.*



*I, quò te melior Genius vocat, i, pede fausto;  
Sentes, quos horres, experière rosas.  
Et dices, quod in hac quisquis spatiatur Eròmo,  
Nil nisi mella bibit, nil nisi nectar edit.*

CVPVT IV.

*Eiusdem mirabilis ad Religionem  
conuersio.*

1. **E**Rat Ioannes Chisius, in  
sequioris illo vitæ flexu,  
non multum absimilis phre-  
neticis, qui propter morbi  
violentiam, rident, saltant,  
lætantur, neque vlla eis me-  
dicum accersendi, neque ad-  
mittendi cura: ita ille ætatis  
feruore, ac voluptatum vehe-  
mentiâ quasi incensus, omnia  
in deterius quotidie agere,  
neque verba, neque voces vl-  
las in se recipere, quibus, vel-  
ut infusâ aquâ, malignus ille  
B 4 ignis,

ignis, quo peribat, extingueretur, atque ad sanio-rem posteà mentem redire posset.

Quare magnam in tam misero statu adibat aleam; quando Altissimo, cuius maximè proprium est miserèri semper, & parcere, placuit eum

*Deus illum ad se vocat.*

ex proximis, quibus imminabat, æternæ ruinæ faucibus eripere. Et quis, precor, alius id præstare potuisset, quàm

*Zach. 10.*

ille, qui ait; *Conuertam eos, quia miserebor eorum, & erunt sicut fuerunt, quando non proieceram*

*Ioan. 14.*

*eos? Ille, inquam, qui est via, veritas & vita, & ad quem nemo potest venire, nisi Pater, qui misit illum, traxerit eum?*

2. Vnde

2. Vnde statim cœpit Iohannes firmiter omnibus, quæ perditè priùs amauerat, nuncium facere, Deo quæ tam benignè manum porrigenti alacriter, & impigrè morem gerere. Et quàm (secum aiebat) in delicijs illis, quibus in hanc horam immerfus, & penè immortuus sum, breue & momentaneũ gaudium ! Quam plena illic voluptas anxietatis & amaritudinis, quàm illius fatietas abundans pœnitentiæ, & mœroris ! Vita autem hæc, quàm incerta, quàm inanis ; in qua non eunt, sed verè currunt dies, menses, & anni ; vbi nobis, ceu nauis iter agen-

*Cui statim obedit.*

tibus, nec sentientibus, sæpè nec cogitantibus finis ad-  
est. Quid itaque in hac re-  
rum velocitate amplius hære-  
re volo, neque ad immoritu-  
ras laureas festino passu con-  
tendo? Atqui earum jactura  
cunctis irreparabilis, ipsaque  
felix æternitas, qui ab eâ se-  
mel excidit, æternâ infelici-  
tate permutanda.

3. Neque diu ab his, statuit  
Deo in arctiori aliquo cœno-  
bio perfectè deseruire. Quare  
annum agens dumtaxat de-  
cimum octauum, in ipso flo-  
re ætatis, rectà, bono Genio  
duce, & comite, tulit se ad  
Conuentum S. Antonij, di-  
ctum

*Et fit.  
Reli-  
giosus.*

Etum Vallifasprensem, Ordinis Eremitarum S. Augustini; in quo pietas, & monachalis disciplina apprimè vigeabant; fuitque ab omnibus, propter miram, quàm sollicitando, quàm se submittendo, constantiam, & feruorem, quantocyus admissus, & statim sacro Religionis habitu donatus. Et quò melius, quàm ad eum confugisset locum, & Ordinem, qui perfectionis religiosæ, ac Christianarum virtutum vberimum semper seminarium fuit? vbi innumeri relicto sæculo, & quæ sæculi sunt concupiscentijs, toties Deo gratum acceptum-  
que

28 *Vita B. Joannis Chrysi*

que obsequium exhibuerunt?  
Vbi penè antiqua Pauli, Hila-  
rionis , Antonij aliorumque  
purioris qui Anachoretarum  
continuata fuit austerè, & re-  
ligiosè viuendi norma : qui-  
que à maximo iuxtà ac san-  
ctissimo Parente satus , &  
fundatus ; magnis etiam , ac  
sanctis in Ecclesia Dei viris  
semper effloruit ?

CA-



CAPVT QVINTVM.

*Breuiarium vitæ nonnullorum Or-  
dinis Eremitarum S. P. Augu-  
stini, qui Senis, alijsque Illice-  
tanæ Congregationis locis san-  
ctitate floruerunt.*

1. **V**T autem paullò clariùs  
appareat Sacrum hunc  
locum & Ordinem, vti iam-  
nunc diximus, sanctimonix  
& doctrinæ laude semper ce-  
leberrimum fuisse, credo ex-  
tra viam, quam in hoc Libel-  
lo mihi proposui, multum me  
non iturum, si paucis hîc e-  
numerem aliquot, qui illic,  
alijsque proximioribus locis,  
prop-

propter vitam religiosissimè  
& purissimè peractam , in  
Beatorum numerum relati  
sunt. Quorum agmen ducit

B. Basilius de Opimâ : hic  
à Zenobio Senatore Romano,  
diuite ac potente , agro do-  
natus latissimo, fundauit Ere-  
mitorium S. Antonij Vallisaf-  
prensus ; vbi à sanctissimo P.  
Augustino recens baptizato,  
& Africam repetente , cum  
piâ matre Monicâ visitatus &  
instructus fuit.

*Obijt*  
*Anno*  
*Dom.*  
397,

*Iosep.*  
*Pamph*  
*P. Ioan.*  
*Nau.*  
*Obijt*  
1022.

B. Petrus de Rosia semper  
visus fuit lacrymas fundere ;  
quapropter & Pœnitentis &  
Lacrymantis nomine indige-  
tatus est.

B. Ia-

B. Iacobus de Picolomi-  
neis , patriâ Senensis , mag- <sup>Anno</sup>  
num austeritatis portentum, <sup>1074</sup>  
vt qui crudas herbas comedè-  
ret , à vino prorsus abhorre-  
ret , in oratione pernoctaret ;  
dein çilicio , ieiunio , verberi-  
busque corpus spiritui peni-  
tus subseruire docuerit , mul-  
tisque signis & prodigijs in-  
claruerit.

B. Antonius de Alexandri-  
nis , Senensis , ita in iugem <sup>Ab.</sup>  
rerum cælestium contempla- <sup>1129.</sup>  
tionem rapiebatur , vt ab-  
stractus à sensu mentis , &  
molis pondere nonnunquam  
visus sit in sublimi pendêre.

B. Latinus , Senensis , inter  
ilices

*Pam-  
phil.  
An.  
1191.*

ilices latitans, Deo mirabiliter placuit, seque hominum salutis ergò præsentis mortis periculo sæpiùs obiecit.

*An.  
1200.*

B. Antonius, Senensis, antiquo Cerretanorum ortus stemmate, vir fuit & virginitatis candore, & obedientiæ alacritate, & paupertatis tolerantiâ, cum iugi rerum divinarum meditatione, aliarumque virtutum gloriâ prælustis.

*Pamp.  
P Ioan.  
Nau.*

*An.*

*1212.*

B. Nicolaus Bandinellius, Senensis, Alexandri III. Papæ consanguineus, silentium, animi & religionis alimentum, adeò exactè coluit, ut nunquam loqui auditus sit, nisi

nisi maxima vrsisset necessitas.

B. Bandinus de Scottis, <sup>Pam-</sup>  
clarum Scottorum germen, <sup>phil. P.</sup>  
B. Nicolaum Bandinellum <sup>Ioan.</sup>  
vincere, quàm imitari maluit; <sup>Nau.</sup>  
indictâ enim à se silentij horâ, <sup>An.</sup>  
fure quodam iumentum ab- <sup>1220.</sup>  
ducere siluit, suoque silentio,  
& furi, furtoque llicum sep-  
tis egredi prohibuit.

B. Brunettus, vitâ & mo-  
ribus candidus, in ergastulo <sup>An.</sup>  
Montis Maioris continuos <sup>1269.</sup>  
quinque & decem annos con-  
sumpsit in precibus: mox ad  
D. Annæ monasterium à se  
constructum secedens, ibi re-  
liquum vitæ cursum integer-  
rimè compleuit.

C

B. Io-

*Pamph*  
*Crusen.*  
*P. Ioan.*  
*Nau.*  
*Anno.*  
 1290.

B. Ioannes Guccius, Senen-  
 sis, ex illustri Incontrorum  
 prosapia, adhuc puer Iliceo  
 cœtui ascriptus est: vbi mag-  
 nâ ciborum austeritate per-  
 territus, statuit clam mona-  
 sterio aufugere. Iamque extra  
 pomarium erat, cum dere-  
 pentè apparuit Christus, ei-  
 que fulgentissimum transfossi  
 lateris sui vulnus ostendit;  
 quo viso puer semimortuus in  
 terram cecidit, & lacrymis  
 plenus, velut errans ouiculâ,  
 ad Religionis caulam redijt:  
 vbi nihil illo humilior, nihil  
 sanctius fuit.

B. Petrus de Salembenis,  
 cognomento Sanctus, fixè re-  
 bus

*Ord. Eremit. S. Augustini.* 35.

bus diuinis vacauit, suosque  
populares, belli, famis, alio-<sup>Anno</sup>  
rumque prædictione suppli-<sup>1330.</sup>  
ciorum plurimum exterruit,  
quam ob rem multorum ad  
Deum conuersio mirabiliter  
secuta est.

B. Elias de Melioratis, Pra-  
tensis, Deiparæ summoperè <sup>Anno</sup>  
gratus; quippè qui in illius <sup>1340.</sup>  
altari celebrans plures peste  
infectos sanarit. Quin eius-  
dem Virginis imago Assum-  
ptionem referens iunctas an-  
tè manus & separare, & pe-  
stem in exilium agere visa est.

B. Antonius Niciensis, do-  
ctrinæ & virtutum celsitudi-  
ne mirabilis, atque B. Catha-

*Anno*  
1383.

rinæ Senensis , ac Urbani Pa-  
pæ VI. litteris accersitus ad  
improbissimi sæculi sui tur-  
bines sedandos.

*Anno*  
1385.

B. Felix Massanus , re uti  
nomine felix, ut qui, ne hypo-  
crisis fermento inficeretur, sa-  
cras inter delituit ilices , feli-  
cior diutinâ cum eadem D.  
Catharina Senensi consuetu-  
dine , felicissimus cælesti quo  
perfruitur Sanctorum con-  
sortio.

*Pam-  
phil.  
P. Ioan  
Nau.*

B. Nicolaus de Marefcottis  
à Pamphilo de Tinis dictus,  
Senensis , & vetusto Mare-  
fcottorum sanguine ortus, vi-  
xit quasi alter Thaumatur-  
gus; quippè qui siue ineffabi-  
li



li panis viniq̄ue accretione ,  
siue diu suspensi hominis re-<sup>Anno</sup>  
suscitatione , siue Cœnobij <sup>1388.</sup>  
ab excidio defensione , siue  
capitis damnatorum absolu-  
tione , ac prophetiæ spiritu ,  
morumq̄ue sanctimoniâ ma-  
ximè præclarus existit.

B Christophorus Landuc-  
cius , Senensis , eâ fulsit hu-  
militate , vt sacerdotio perpe-<sup>Anno</sup>  
tuùm abstinere voluerit ; eâ <sup>1460.</sup>  
autem præstitit puritate , vt  
Alexandro Oliuæ , alijsq̄ue  
S. R. E. Cardinalibus sum-  
mæ admirationis fuerit. Cer-  
tè Pius Secundus de eo ali-  
quando hæc verba protulit ;  
Putamus huius fratris ani-

mam esse sanctam.

*Pamp.* B. Petrus de Scitonio, vir  
 inculpatae vitae, in omnibus  
 ferè insignioribus Italiae urbi-  
 bus, praedicatione Verbi Dei,  
*Anno*  
 1470. plurimam Christo peperit so-  
 bolem.

*Anno*  
 1513. B. Christophorus de Pe-  
 tronis, egregio ortus Petro-  
 num sanguine, datâ quâ in-  
 duebatur veste nudo & egen-  
 ti, mox eâdem Christus con-  
 tactus Christophoro appa-  
 rens, pollicitus est eiusmodi  
 beneficium ampliter se re-  
 muneraturum. Atque ab illo  
 tempore vnicâ contentus vi-  
 xit tunicâ, neque ad ignem,  
 in summa etiam hyemis as-  
 peritate,

peritate, vnquàm accessit.

B. Iosephus de S. Geminiano, ab ineunte ætate ad ultimos vitæ dies, diuinis vixit diuina consilia præceptis, quæ apud Turcas proprio cruore confirmauit.

*Pam-  
phil.*

*Anno  
1524.*

B. Michaël Angelus de Chimuicis, Diaconus, Christi causam contra infideles agens martyrium compleuit, dirisimè ab illis palo transfixus: qui palus momentò effloruit, & martyrium reddidit gloriosius.

*Anno  
1524.*

B. Nicolaus Paraglioni, infirmorum curâ susceptâ, eorum vlcera manibus lauit, saniem sorbuit, lotionem bi-

*Anno  
1527.*

40 *Vita B. Ioannis Chisij*  
bit, linguâ lambit.

*Anno*  
1599. B. Ascentius, Senensis, vir  
innocentiæ admirabilis, o-  
rans animam Deo reddidit.

C A P V T S E X T V M.

*Breuis item indiculus eorum, qui  
præter sanctitatem, doctrinâ,  
aut dignitate ijsdem in locis  
floruerunt.*

*Pam-*  
*phil.* 1. **G**Vido de Stagio, Con-  
uentuseiusdem quo B.

*Anno*  
1270. IOANNES CHISIVS, post Lan-  
fracum secundus totius Or-  
dinis Magister generalis de-  
claratus est.

*Pam-*  
*phil.*  
*Crus.*  
*P.Neu.* B. Augustinus Nouellus,  
V. I. Doctor, & Theologus  
egregius,

egregius , miraculosè ad Or-  
dinem vocatus fuit , Pœni-  
tentiarius , Confessarius, tri-  
umque Summorum Pontifi-  
cum sacrista ; dein , propter  
vitam modis omnibus abso-  
lutam, supremus vniuersi Or-  
dinis Præfectus renuntiatus  
est.

B. Umbertus, Senensis, no-  
bilissimo Accarigiorum ge-  
nere natus , Doctor li laureâ  
insignis , dicendi ardore po-  
pulares suos , alienigenasque  
in magnam sui admiratio-  
nem , & austerum piacularis  
pœnitentiæ amplexum mira-  
biliter allexit.

B. Guilielmus Fletæus, na-  
tione

Anno  
1309.

Pam-  
phil.  
Natt.

Anno  
1348.

*Pam-  
phil.  
Nau.* tione Anglus, magnæ vir do-  
ctrinæ, vitæque innocentia, & prophetiæ gratiâ celebris. Fuit S. Catharinæ Senensi à sacris Confessionibus, estque, Sabellico teste, inter Sanctos relatus.

*Anno  
1365.*

*Pam-  
phil.* B. Ioannes Tantuccius, à Pamphilo Tertius appellatur, S. T. Doctor; huius viri sanctitas satis superque cognoscitur in epistolis S. Catharinæ Senensis, cuius, eodem Pamphilo teste, itinerum laborumque omnium perpetuus comes, ac indiuiduus fuit socius.

*Anno  
1391.*

B. Philippus, Senensis, gloria gentis Algazzariæ, Ordinem

dinem scriptis, & mirabili vi- *Anno*  
tæ sanctimoniâ insigniuit. *1415.*

B. Stephanus, Senensis, ex  
eodem Algazzariorum stem- *Pamp.*  
mate, vir prudentiæ singula- *Crus.*  
ris, author fuit congregatio- *Anno*  
nis Canonorum S. Salvato- *1433.*  
ris, vulgò Scopetinorum.

B. Gabriel Carolus Sfor-  
tia de Attendulis, Comes Co- *Pamp.*  
toniolenfis, illustriffimi Fran-  
cisci Sfortiæ Mediolanensium  
Ducis frater, propter rutilos *Anno*  
sanctitatis radios Mediola- *1442.*  
nensium Archiepiscopus fuit  
inauguratus.

B. Alexander Oliua, mira- *Pamp.*  
culo à B. Virgine vitam puer *Crus.*  
accepit, atque ob præclaras *Curc.*  
*Neu.*

vir-

44 *Vita B. Ioannis Chisij*

*Anno*  
1463.

virtutes , summamque vitæ integritatem , primò supremus Eremitani Ordinis Præfectus, mox Cardinalis renunciatus est ; ingens sacri Collegij decus , in quo vitæ fulgor cum doctrinæ luce pariter contendebat, ait Bzouiu .

*Pamp.*  
*Anno*  
1498.

Marianus de Genezano , Generalis , Theologus , & concionator eximius.

*Pamp.*  
*Anno*  
1506.

B. Augustinus Interamensis , etiam Generalis, missus litteris Apostolicis in Hispanias, plura illic monasteria ab Ordinis institutis plus æquo abeuntia reparauit.

*Anno*  
1507.

B. Arnoldus Neracensis , S. T. Doctor Parisiensis , ipso mortis



mortis articulo, cùm recitatâ Nonâ Breuiarium Infirmario redderet, Accipe, ait, frater, Vesperas enim cum Dei Angelis in cælum eo recitaturus: & sic obdormiuit in Domino.

B. Valerius de Spannochijs, *Anno*  
Senensis, conspicuâ Spanno- <sup>1517.</sup>  
chiorum familiâ procreatus, sacrum Ordinis habitum regiminis fide, in pauperes clementiâ, operum nitore, finisq̃ beatitate decorauit.

B. Gabriel, Ghimuccio-  
rum genere coruscus, Mona- *Anno*  
sterijs Antoniano, & Illiceta- <sup>1497.</sup>  
no præfuit, eademq̃ summâ sanctitatis famâ exornauit.

B. Pa-

*Anno*  
*1523.*

B. Paracletus, Senensis, modò Iliceti, modò Geminiani Prior, vtrobiq; grassante fame, plenam aperiens manum, modico admodum tritico, & creditis sibi fratribus, & innumeræ ad eum confluentium turbæ abundè prouidit, dignumque sibi Eleemosynarij nomen conciliauit.

*Pamp.*  
*Cris.*  
*Curr.**Anno*  
*1532.*

Ægidius Viterbiensis Generalis: Hic in magno Lateranensi Concilio primam ad Patres Orationem longè doctissimam habuit, varijsque legationibus functus ab Leone X. Cardinalis, mox Patriarcha Constantinopolitanus

nominatus est, vir in suggestu  
mirabilis, & in oratoriâ fa-  
cultate princeps.

B. Ioannes Benedictus *Pamp.*  
Moncettus, Philosophus &  
Theologus insignis, sequio-  
res in Franciâ mores correxit, *Anno*  
& genibus flexis exspiravit. *1505.*

B. Anselmus de Monte Fal-  
co, Generalis, vir sanè doctus,  
& qui apud suos sanctissimè  
vixit.

2. Qui omnes in Ilicetanâ *Pamp.*  
Congregatione floruerunt. Est  
autem Ilicetum, à quo Ilice-  
tana hæc Congregatio nomen  
sumpsit, locus in Thusciâ,  
non longè à Senensi ciuitate,  
ad contemplandum aptissi-  
mus,

*P. Ioan.  
Nell.*

mus, vbi plures alij, præter eos qui hîc numerati sunt, eiusdem Ordinis valdè raræ sanctitatis Viri vitam Deo gratissimam peregêre: suntque diuersis templi & ambituum locis sepulti. Qui tot olim coruscant miraculis, vt extotâ Italiâ innumera hominum turba vndatim solêret istuc affluere Cumque pia eiusmodi incurfio non parùm Religiosos à suæ professionis auocaret exercitijs, quidam eius loci Prior, quo id caueret, Sanctis ibi quiescentibus in meritum salutaris obedientiæ mandauit, vt à patrandis miraculis deinceps abstinerent.

Cui

Cui extemplò perfectè omnes obediêre; toto que quo ille tempore præfuit , cessatum illïc fuit ab solitis faciendis prodigijs. Atenim eo defuncto , plurima denuò Sanctissimi viri, afflictis hominibus, diuinam opem , per eorum intercessionem & merita , inuocantibus , solatia præstare non destitêre.

CAPVT SEPTIMVM

*Ab initio Professionis religiosæ fuit  
B. IOANNES humilitatis maxime studiosus.*

1. **A**Tque hos doctrinâ &  
pietate clarissimos vi-  
D ros

ros sufficiat obiter nos in hanc velut scenam adduxisse, vel potiùs eorum nomina, cum pertenui, siue eruditionis, siue sanctimonix, aliarum uè virtutum radio, in hac tabellâ tantummodò primâ manu depinxisse; nunc ad propositum antea in hoc libello institutum feliciter reuertamur.

2. Itaque B. IOANNES CHISIYS, sanctissimi atque antiquissimi Eremitani huius uiridarij maximè egregius surculus, obtulit se in illa florida & iuuenili ætate, in illis generis & fortunæ bonis amplissimis, verè hostiam uiuentem, Deo placentem, & immaculatam.

latam. Licet enim virgines, quas olim in baptismo acceperat, niues paululùm inquinasse videretur: tamen earum candorem facilè recepit per noui huius in primâ iuuentâ Instituti professionem. Senes, & qui in vitę occasu ad Deum conuertuntur, non offerunt istiusmodi agnum immaculatum, ex mente cuiusdam pietate, ac doctrinâ Viri ce-<sup>Hugo.</sup>lebris, sed quasi porcum luto, alijsque sordibus infectum. Sicut enim portus in immunditijs, sic senes illi multùm, diuque iacuerunt in suis vitijs. Vnde ter & quater fe-<sup>Hiere-</sup>lices, qui iugum Domini por-<sup>mias.</sup>

tant ab adolescentia , seque-  
 dum planè vires vegetæ , to-  
 tusque adhuc calet sanguis, ad  
 præliandum prælia Domini  
 itrenuè , & viriliter compa-  
 rant.

3. Est autem dictu impos-  
 sibile , quo animi studio om-  
 nes ad vnum virtutes , à pri-  
 mis conuersionis suæ carceri-  
 bus vsq; ad vltimam vitæ me-  
 tam beatus hic Adolescens  
 sit amplexus : maximè humi-  
 litatem, quæ tanquàm hespe-  
 rus , aut lucifer inter sidera ,  
 sic inter virtutes reliquas præ-  
 cipuè effulget, estque basis, &  
 fundamentum aliarum om-  
 nium, quæ religiosum homi-  
 nem

*Humi-  
 litatis  
 aman-  
 tissi-  
 mu.*



nem decent virtutum. Vnde per hanc luxuriantis ætatis, & rebellis naturæ affultus, quos frequentes, & furiosos sustinuit, paruo negotio repulit, domuitque: per hanc vanas Maiorum imagines, & inanes generis titulos facilè contempfit, ac calcavit: per hanc de tumidis spiritibus, de arrogantia, & superbia gloriosissimum per omnem vitam egit triumphum. Ex quo sicut vas quantò profundius, tantò plura recipit; ita eò plus gratiæ è cælo in dies hausit, quò se in eiusmodi abiectio-  
ne magis perficere potuit.

4. Quæ ne quasi adulabun-

D 3

dus,

dus , aut parùm ex vero dice-  
 re videar , an non ea satis su-  
 perque patent , quòd in pri-  
 mæuo adolescentiæ virore ,  
 cùm ingenio valeret quàm  
 optimo , summoque esset lo-  
 co , ac genere oriundus , vo-  
 luerit conuersus , vt vocant ,  
 fieri , qui ad altiorem gradum  
 ex facili poterat promoueri ?  
 Quòd miseris pannis obsitus  
 non recusauerit apud suos ve-  
 stibulatim stipem cogere , &  
 lectas hic illic varias eleëmo-  
 synas , ceu aliquod è ponte  
 mendicabulum , palàm super  
 humeros deportare ? Quòd vi-  
 lissima , & infima quælibet sui  
 Conuentûs munia sereno , &  
 lu-

Iubenti animo semper obie-  
rit, neque Superiorum iussis,  
licet grauiora, & abiectiora  
præcipere viderentur, vn-  
quàm restiterit? Equidem al-  
tiori, & clariori voce eum  
magnæ sanctimonix Iuue-  
nem deprædicarem, ni vere-  
rer exiguâ hac ingenij mei te-  
nuitate, & verborum angu-  
stijs tantas ipsius virtutes po-  
tius imminuere, quàm ex me-  
rito laudare.

## CAPVT OCTAVVM

*Cura Ecclesie vbicumque habita-  
uit semper illi commissa.*

1. **P**ostquàm septis mona-  
sticis se inclusit , ani-  
mumque , & mentem , pro-  
culcatâ rerum caducarum  
omnimodâ sollicitudine, vni  
Deo perfectè consecrauit, vi-  
tam vixit Beatus hic non hu-  
manam , sed cælestem, atque  
ab omni parte Angelicam ;  
ideoque omnibus in locis ,  
quibus contigit eum degere,  
semper illi cura Ecclesiæ , &  
rerum sacrarum custodia ,  
ceu alicui tutelari Genio , à  
Supe-

*Cura  
Sacri-  
stie illi  
credita.*

Superioribus commissa est. Quam spartam ita probè adornavit, vt ne hilum in eiusmodi ædilis officij administratione neque incuriæ, neque negligentia, néue alterius reprehensionis dignum vllò vnquàm tempore admiserit. Quin imò propter singularem, quâ etiam pollebat, siue grauitatem, siue prudentiam, vnâ quoque ab ijsdem fuit illi iniunctum, vti foris ad templum, vel cœnobium aduenientibus hominibus occurreret, eisq̄ue in spiritualibus vtique rebus, & sacris, pijsq̄ue colloquijs, responderet.

*Item vt venientes ad Monasterium etiam exciperet.*

2. Quod

2. Quod ita etiam decorè,  
 & laudabiliter cum quibusli-  
 bet exequutus est, vt exteros,  
 domesticosq; omnes in mag-  
 nam sui admirationem, &  
 stuporem incessanter rapue-  
 rit. Neque hîc silentio præ-  
 terire debeo, præsentès & a-  
 stantes sibi homines, neque  
 priùs notos vnquàm, neque  
 visos, eosdem in ictu oculi  
 ad viuum agnouisse, quasi  
 eorum mores, sensus, & ge-  
 sta præ se in aliquâ depictâ ta-  
 bulâ legisset. Scilicet animus  
 ab omni rerum terrenarum  
 fœce abstractus, etsi instar a-  
 quilæ nubes transcendisset,  
 adhuc tamen intuebatur, pe-  
 netra-

*Ignotos  
 homi-  
 nes sta-  
 tim  
 agnos-  
 cit.*

netrabatque, quidquid erat infra se positum, poteratque, quasi lynx, abditos, & intimos cordis humani recessus acutè peruadere, & in istis amfractibus peruidere quidquid sepositum, & reconditum esse poterat.

CAPVT NONVM.

*Ceremoniarum in Missæ sacrificio diligens inspector.*

1. **N**AUABAT IOANNES planè strenuam in isto munere, rebusque Ecclesiæ tum purgandis, cum conseruandis operam; maximè verò præter ordinem incumbens, *Ceremonias in Missæ sacrificio diligenter inspicit.*  
vti

vti altaria munda essent , neque à sanctis mysterijsque plenis ceremonijs , & sacris ritibus tempore Missarum vllus Sacerdos excideret, auia-  
retúe. Siquidem ceremoniarum obseruantia quasi pars est Sacrorum , quarum aliud fundamentum nullum,quàm ipsa Religio , exigens vt Deo certo ritu , & modo illa reddantur, quæ à nobis Sancto-  
rum Patrum pietas, & Summorum Pontificum cura red-  
di mandarunt , honorem , cultum, reuerentiam. Vnde exactè , & quasi cum scrupulo illas ab omnibus obe-  
undas putabat , quæ tam e-  
gregiam



gregiam habent originem ,  
significationemque, quæque  
homines ad pietatem, ac me-  
liora inuitare, & manu duce-  
re solent.

2. Quam ob causam Sa-  
cerdotibus rem sacram factu-  
ris tempestiuè ac promptè  
aderat , eosque ad tremenda  
peragenda mysteria religioso  
obsequio adiutum ibat , ca-  
uens, satagensque ne quem in  
sacris ritibus defectum illi  
admitterent. Si quando au-  
tem , vt homines sumus , vel  
casu , vel incuriâ quid simile  
euenisset , dici non potest ,  
quàm istud ægrè ferret : vbi  
simul ac res sacra peracta erat,  
atque

atque ad presbyterium sese receperant, non verebatur Sacerdoti, quidquid contigerat, paucis, cum certâ verborum suauitate & charitate, aperire, ne quo suffunderetur rubore: quamuis non desissent, qui in illo articulo ipsius præsentiam, & officium malent subterfugere. Nihilominus præstò celebraturis semper aderat, rei que Diuinæ magnâ cum reuerentiâ, pietate, & attentione inferuiebat, quasi non homini, sed ipsi Deo obsequeretur.

3. Et sanè mirum dictu est, quàm mente animoque lætus ab altari, postquam Deo  
Sa-

Sacerdos operatus erat, ad adytum se reciperet, vbi receptis in Ecclesia ritibus illum ad amussim conformem fuisse perspexerat. Non quòd in exterioribus illis siue ceremonijs, siue sacris apparatibus præcipuam Christianæ religionis vim reponeret; sed quod ex se sciret, ijs pessundatis, multorum animos prorsus frigere, neque ad altiora mysteria sese erigere posse; quem etiam in finem illæ ab Apostolicis viris olim repertæ, magnaque cum cura, fide, & studio ad hæc vsque tempora conseruatæ fuerunt.



CHRISTVS, infames vrunt cū pectora flamma,  
Et pectus spinas, & latue inter agit.  
Nempè Venus mollis negat hac certare palastrâ,  
Et viso simili turpiter hoste fugit.

CAPVT DECIMVM.

*Grauiſſimis tentationibus demones B. IOANNEM multoties adorti ſunt.*

1. *S*olet inter primordia conuerſionis acrius inſurgere tentatio prauæ conſuetudinis, vt vix poſſint extingui iacula ignita, ait <sup>Sup.</sup> doctè Mellifluus Bernardus. <sup>Cant.</sup>  
Et hoc vero verius eſſe egregiè in ſe expertus eſt B. IOANNES. Qui enim in ſæculo certam adoleſcentiæ partem intemperantiæ dederat, qui otio, qui voluptatibus aliquantulum diffluxerat, ſicut Pharaõ egredientem de Ægypto  
E            Iſraëlem

*Graui-  
ter à  
demo-  
ne ten-  
tatur.*

Israëlem grauiùs persecutus est, ita immanis tenebrio solitas fugientem delicias horrendum in modum voluit adoriri. Harum siquidem rerum speciem, quod potentissimum in adolescente est expugnandi genus, ad viuum ei reducebat, quarum in sæculo consuetudine antea à allectus & detentus fuerat: vnde earum adhuc recrudescente memoriâ, quasi furialibus machinis oppugnabatur. Quod vbi eueniebat (& frequenter eiusmodi insultus passus est) quid illi reliqui esse poterat, quàm fortissimo orationum vallo viriliter se defendere, & tueri?

tueri? Quàm cynocephalum illum nouis artibus, & nouo bellandi modo aggredi? Vti etiam ab illo fuit pluries & pluries egregiè factitatum; quemadmodum ex hoc, quod multorum aliorum instar esse potest, exemplo satis superque patebit.

2. Secus Monasterium, quod incoluit, est profunda sylua, in quâ vir Dei opere tu- Tugu-  
riolums  
habet  
ad orã-  
dum. multuario vile sibi aliquod mapale construxerat, liberius illic orationi, rerumque cælestium meditationi vacaturus, à turbis, & frequentia hominum planè pleneque abstractus. Quâ de causâ erat

illi istiusmodi secessus longè suavissimus, non propter arborum proceritatem, auium-ue istic suauè canentium inexplabilem volūptatem, sed propter tacitū quendam loci horrorem, & quasi religionem, solitudine animum penitus auocante à rebus istis omnibus, quibus potior hominum pars stultè rapitur.

3. In quo tuguriolo quoties redeuntēs peruersæ consuetudinis æstus fortiter extinxit? Quoties impuras prurientis carnis titillationes, illecebrasq; illic generosè oppressit? Quando allato secum vrticarum fasciculo, ijsq; in terram

*In quo  
super  
vrti-  
cas de-  
cumbit.*



terram substratis , ceu in arenam descensurus , nudus hostem Stygium prouocabat , & insolentem iuuentam tam diu , & toties inter illas volutabat , pectusque & humeros , adeoque totum ipsum corpus illis fricabat , donec , opitulante Dei gratiâ , hostem sibi iugulum dare cogeret , atque ab omni telo & flamma cupidinis liber exiret. Equidem plures ad spectandam istiusmodi luctam Angelos è cælo aduolasse , plures victori applausisse , plures lætum præana succinuisse , eique immortales palmas , & semper vi-  
*Et demonens vincit.*

me possum dubitare; quibus ornatus nobiliorem & superbiorem, de prostrato adeò potente, & forti aduersario, priscorum fastu, omniq̃ue Romanâ magnitudine postea duxit triumphum. Magnum semper post eiusmodi conflictus congregans in animo prouentum, magnas in cælo sibi comparans ad oreas. *Profectus enim noster, ut optimè inquit S. P. Augustinus, per tentationes fit, nec sibi quisquam innotescit, nisi tentatus; nec potest coronari, nisi vicerit; nec potest vincere, nisi certauerit; nec potest certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit.*

*Aug.  
sup.  
Psal.*

CAPVT VNDECIMVM.

*Nibil in B. IOANNE inuentum  
vnquàm reprehensione dig-  
num.*

1. **P**Auci admodum reper-  
ti sunt homines, qui  
quamdiu suâ mortalitate in-  
uoluti, vitam duxerint incor-  
ruptam, & ab omni vitiorum  
fuligine vndequaque puram,  
& liberam. Ne ille quidem,  
si qua antiquis fides, qui Del-  
phico oraculo omnium sa-  
pientissimus est habitus. Per  
publicas corruptę naturę vias  
euntibus, nunquàm nos lu-  
to, aliaue colluione non af-

pergi quasi impossibile. Ea tantummodò Beatorum, ijs-  
 que qui proximè ad illos per  
 continua magnarum virtu-  
 tum studia accedere possunt,  
 conditio est, vt nempè spiri-  
 tum ab ærugine, quæ morta-  
 les animos inficit, vitiatque,  
 purum & immunem tenere  
 valeant.

2. In quorum numero haud  
 temerè B. IOANNES reponen-  
 dus, *vir simplex, & rectus, ac*  
*Iob. c. 1. timens Deum, & recedens ab*  
*omni malo.* Siquidem nihil à  
 quopiam visum in eo neque  
 simulatum, neque infuca-  
 tum, non in rebus, non in  
 verbis, quamdiu, post suscep-  
 tum

tum sacrae Religionis habitum, à mundi commercio auulsus fuit. Cuius hoc vnum noctes diesque sine intermissione opus erat, satagere, vt instar apis nunc contemplando, nunc orando, alijsque pijs exercitijs, quasi odoriferis calyculis, inhærendo, inter monastica aluearia, Deo, Cælitibusque gratum mel reconderet, seque magis magisque in viâ, & studio virtutum perficeret, consummaretque. Vnde si paullo attentius velimus ipsius vitam considerare, eam reperiemus fuisse, vel quasi quoddam pratum innumeris, ijsque suauissimis æternæ

*Ne minima res in eo visa reprehensione digna.*

ternæ contemplationis floribus vernans; vel instar cælestis firmamenti tot, tamque pulchris omnigenæ perfectionis flammulis variegati; vel denique instar paradisi infinitis pœnitentiæ, & austeritatis frugiferis arboribus continuo exuberantis.

CAPVT DVODECIMVM.

*B. JOANNES tot virtutibus insignitus adduci non potuit, vt Sacerdotio initiaretur.*

1. **C**VM vitam ita ad obrusam duceret B. IOANNES CHISIVS, crebrò tum à Superioribus, cum à suis  
Con-

Conuotis rogatus est , pate-  
retur sacris se Ordinibus ini-  
tiari , animumque vellet ad  
diuina celebranda Mysteria  
disponere. Id enim , aiebant,  
morum, quos nemo non sus-  
piciebat, probitati, id integer-  
rimæ, quam ducebat , vitæ  
sanctitati maximè conuenire.  
Ad hæc parentibus , qui ad-  
modum illustres, per eiusmodi  
initiationem, gaudij & con-  
solationis plurimum accessu-  
rum. Tandem altioris quo-  
que fortunæ (neque illa nobi-  
li, & generoso respuenda) oc-  
casionem per istum gradum  
posse oriri, quæ magnum Chi-  
storum familiæ splendorem,  
&

*Multi  
instant  
vt velit  
Sacer-  
dotio  
initia-  
ri.*



& decus adferre possent.

2. Sed hæc incassum omnia versabantur : quâ enim animi demissione præualebat, precès illas, & hortatus assidue refellit, aiens, ideò se demissum in Religione viuendi genus elegisse, vt honores, aliaque, quibus hominum leuitas capitur, procul à sua mente auerteret. Neque dignum se, propter vitam prius flagitiosè actam, qui ad tremenda Mysteria eueheretur, qui ab vltimis sordibus ad summi Numinis consortium traduceretur. Ea scilicet erat humiliter, & sanctè de se sentientis animi persuasio, ea timoratae

*Sed nihil obtinent.*

*Propter suam humilitatem*



moratæ conscientiæ opinio ,  
quâ magis elegit pauper , &  
humilis viuere in domo Do-  
mini , quàm infulas , quàm  
purpuram, aliaque honorum  
insignia etiam licitè sperare,  
vel venari.

3. Et quo putamus eum Omnes  
in suū  
trahit  
amo-  
rem.  
propter hæc , quæ multò ma-  
xima sunt , in pretio passim  
apud omnes fuisse? Certè nul-  
lus erat homo neque peregrè,  
neque domi, qui illum, exi-  
miasque animi illius dotes  
cognoscens, summo non pro-  
sequeretur amore , & reue-  
rentiâ : *cùm nihil* , vt optimè  
Romanæ parens eloquentiæ  
ait Cicero , *in mundo sit ama-* Cic.  
*bilis*

*bilis virtute , nihil quod magis  
alliciat homines ad diligendum :  
quippe cùm propter virtutem , &  
probitatem eos etiam quos nun-  
quàm vidimus , quodammodò di-  
ligamus. Quod si ita se habet,  
enimuerò longè potiori iure  
quos præsentis maximis au-  
ctos virtutibus intuemur ,  
amare , suspicere , & reuereri  
cogimur , qui absentes & ig-  
notos etiam amore comple-  
ctimur.*

*Affi-  
ctos  
conso-  
latur.*

4. Neque vllus , vt hanc  
quoque laciniam hîc addam,  
visus est , quantumuis maria  
calamitatum pateretur , qui  
mirabiliter quietus , ac tran-  
quillus ab eius sermone non  
dis-

discederet. Ita peritus quoscumque animi dolores, quasi infuso oleo, sedare; ita manu super plagam positâ, quælibet mentis vulnera obligare, ut in terris novus Podalyrius, vel beatus aliquis è cælo Genius, vivere censeretur. Lites autem, & discordias quantum Discordias componit. oderat, tantum eas componere studebat; in omnibus, quæ agebat, felix, in hoc felicissimus; ut qui altâ mente impressisset dictum à Christo Domino, pacis in terrâ amantissimo, *Beati pacifici, quoniam* Matt. 5 *filij Dei vocabuntur.*

## CAPVT XIII.

*Ardentem quoque charitatem erga  
infirmos ostendit.*

1. **N**Vllum humanæ natu-  
ræ ita proprium offi-  
cium, & si pluribus & graue,  
& asperum videatur, quàm  
alienę infirmitati succurrere,  
quàm laborantium necessitati  
subvenire. Quando prospera  
vřuntur homines valetudine,  
quando fortunis abundant,  
eis adesse, vel eorum limina  
frequentare, ea magis luci-  
cupiditas, quàm humanita-  
tis species est. Et cùm ab vno  
Deo inspirati omnes, & ani-  
mati

mati sumus, vt optimè ait ille,

*Denique caelesti sumus omnes semine creti,* LUCRES.  
*Omnibus ille idem pater est,*

reuerà pro belluis habendi sunt, qui morbo, aliaue necessitate implicatis hominibus non subueniunt. Neque aliud indicare voluit S. Spiritus, cùm monuit nos seruandę misericordię : *Misericordia & veritas te non deserant. Circumda* Pro-  
*ear gutturi tuo, & describe in ta-* uerb. 3.  
*bulis cordis tui, inuenies gratiam,*  
*& disciplinam bonam coram Deo,*  
*& hominibus.*

2. Quod cùm optimè sciret B. IOANNES, totus rapiebatur in auxiliandis infirmis, id-

F que

*Infir-  
mos  
iuuat,  
& cu-  
rat.*

que tam prompto, tamque  
alacri animo, vt neque nau-  
seam propter immunditias,  
neque auersionem propter  
ægotantium quandoque as-  
peritatem vllam sustineret.  
Plerisque enim, qui morbo  
decumbunt, propter prauam  
humorum temperiem omnia  
molesta sunt, & medicum in-  
cusant, & lectulum ægrè fe-  
runt; ex amicis si quis acce-  
dit, grauis est, si discedit, mo-  
lestus; omnes tamen has, alias-  
que in ijs molestias oppidò  
quàm libenter sufferebat B.  
IOANNES, vt qui sciret Chri-  
stianam charitatem, præter  
alterius vitæ speranda præ-  
mia

nia neque hic habere maius,  
quàm vt possit, neque melius,  
quàm vt velit, ita constitutis,  
& laborantibus hominibus  
auxilium, & suppetias ferre.

CAPVT XIV.

*Plura in Conuentu Senensi perfe-  
ctionis religiosæ signa exhibet.*

1. **V**iris Religiosis frequen-  
ter idem euenit quod  
flammæ, neque illa iacere,  
neque latere potest: similiter  
illi neque humi serpere, ne-  
que claustris, quamuis id  
profiteantur, ita possunt se  
perpetuò abdere, vt quando-  
que non appareant. Quinimò

quantò plerumque plus se abscondunt, quantò obscurum, & tenebras amplius quærunt, tantò exfurgunt magis, celebrantur, & innotescunt. Hoc quoque in B. IOANNE CHISIO euênit, cuius eminentissimæ virtutes quia longè lateque iam inclaruerant, quia eius pietas, & religio iam varijs in locis innotuerat, ideò aliorum de suâ sanctitate opinionē minimè potuit amplius subterfugere: atque hanc ob rem Conuentus Senensis, ratus tam pretiosum sanctimonix thesaurum non esse in paruo isto Vallisasprensi Monasterio diutius recondendum, omnibus



omnibus modis institit, uti  
vellet apud eos vivere, ibique  
sedem figere. Cui grauatè  
paruisset, ni Maiorum impe-  
rijs eò transmigrare fuisset  
compulsus. Quippè cupiebat  
in amicissima sibi solitudine,  
uti hactenus fecerat, dies pro-  
cul ab omni strepitu transige-  
re, & extra turbam, quæ in  
oppidis nimium frequens, &  
à pijs studijs aliena, atque a-  
nimo quieto, & religioso im-  
portuna, vitæ curriculum mo-  
destè & in silentio finire.

2. Habitauit autem Senis  
decem annos continuos in ijs  
rerum angustijs, ut ne cellu-  
lam quidem, propter mag-

*vbi  
noctes  
propè  
ince-  
gras  
ducit  
in ora-  
tionibus.*

num Religiosorum numerum, haberet, vbi quiesceret. Quapropter noctes propè integras in Capitulo, quo pro cellula vsus, stans diuinam mentem assiduè precibus orabat, nisi quando somno victus illi pauxillulùm indulgere cogeretur. Tunc autem super nudo scamno absque vllis omninò pannis ad frigiditatis arcendam iniuriam, præter habitum, quem gestabat, eumque leuem valdè, & attritum, recumbebat. Verùm hoc per pauxillulùm durabat, cui omnis quies, grauis pœna, labor autem & vigiliæ, ingens voluptas erant.

3. Neque

3. Neque extra Ecclesiam, cellulamue, quando eam habuit, pedem, nisi Superiorum imperia aliud voluissent, vnquam extulit. A quibus, quia ne latum vnguem ibat, mirum quot domi officijs, quot alibi oneribus implicaretur. Nam præter sacristiæ curam, quam habebat, iniunctum illi erat vt in dies per vicos cum manticâ cursitaret, palamque, & ostiatim eleëmofynas quæreret colligeretque. Quo hilariter & fideliter absoluto, vbi ad suos redierat, ilicet parata alia obedientiæ plaustra; ita vt quidquid in Monasterio vile, quid-

*Assiduus  
in templo vel  
cella.*

*Varijs  
oneratur  
officijs.*

*Ea q̄,  
libens  
exequi-  
tur.*

quid abiectum , & explosum  
erat , huic vni quasi de indu-  
striâ seruaretur ; quod tamen  
tranquillo , promptoque ani-  
mo actutum exsequebatur.  
Quæ dum considero , an non  
dicendum, in illâ parendi ala-  
crite, religiosissimum hunc  
Virum potuisse potiori jure,  
quàm illum Philosophum ex-  
clamare ; *Semper magis volo ,  
quod Deus vult , quàm quod ego.*  
*Adiungar , & adhærebo illi velut  
minister , & affecla : cum illo ap-  
peto , cum illo desidero , & sim-  
pliciter , atque vno verbo , quod  
Deus vult , volo ; quod Supe-  
riores volunt , volo. Verè quies  
incredibilis , ita totum Deo*

*Epict.  
Man.*

se tradenti ! Verè pax ineffabilis , semper , & in omnibus ita à Maiorum imperio pendenti ! Et quæ animo religioso gaudia , quæ securitas , quidquid Deus , quidquid cum Deo Superiores iubent , mandantque , uti B. hic IOANNES CHISIVS fecit , sine tergiur-  
satione subire , quidquid præscribunt , sine murmuratione adimplere ?



*Celestes inter radios ita CHISIUS errat,  
Vt solo vilem corpore verrat humum.  
Et nonne in terris potuit dici Angelus, orbes  
Sic inter Superos qui propè semper erat?*

CAPVT XV.

*Contemplationi fuit summè deditus  
& profundus in rebus diuinis.*

1. **Æ**TERNÆ suauitatis contemplatio, animæ, quæ per sollempniora vota Deo se mancipauit, vera vita est: sine quâ iacet illa, & plusquàm marmor, frigida, & inanis, & mortua est. Ideò etiam secessu delectatur, vt in eo liberius, & purius possit cum Deo, summo suo bono, congregari, & internâ, quæ ex familiari istiusmodi congressu, ac colloquio oritur, voluptate frui. *Ecce ego lætabor eam, & ducam* <sup>Osech.</sup> <sub>2.</sub> *eam*



*eam in solitudinem, & loquar ad cor eius,* ait ille, qui speculum est, ad quod illa suos continuo oculos, vota, mentemque conuertit. Cuius piæ exercitationis vsus, & arctè Deo inhærendi modus, ordinariæ fuerunt B. IOANNI delitiæ, in quibus eius animus à terrenorum desideriorum tumultu liber penitus, quasi absorptis, vel defunctis sensibus, quotidie inebriabatur; vnde præter Deum, vel extra Deum sibi illic loquentem, & secum familiariter agentem, nihil amplius amabat, nihil reperire poterat, quod eius vota satiare, quod eius vitam fouê-

*Diuina  
contē-  
platio  
magne  
B. lo-  
anni  
delicia.*



re sufficeret.

2. Ex quâ etiam, instar aquilæ, diuinam lucem intuenti consuetudine prorsus cælestem hausit, imbibitque in rebus Theologicis scientiam, quam omnes, qui eum nouerant, mirari, nemo poterat assequi. Etsi enim, uti à nobis in principio fusiùs dictum, litteras adolescens nec à primo limine salutasset, ad summum tamen ascendit in maximis Theologorum mysterijs scientiæ culmen. Neque ex eis, qui sacras profitentur litteras, ullus erat, qui eas vel illo clariùs explicaret, vel melius intelligeret. Quare non

*Adeo profundus in Theologia ut quilibet illius loca possit explicare.*

non puduit ad eum , velut ad oraculum , identidem accedere , atque in arduis , & obscuris quæstionum ambagibus , ab eo manum , & facem petere : in quibus ita præibat , vt cælestis aliquis Theseus in perplexis & intricatis illis quæstionum labyrinthis filum dedisse videretur.

## CAPVT XVI.

*Quatuor in B. IOANNE præ alijs valdè admiranda exstiterunt.*

1. **B**Reuiter huc vsque , & quasi per indicem ostendimus in hoc libello , omnium pænè

pænè virtutum in B. IOANNE  
CHRISTO, quendam velut con-  
sensum, ac concertum fuisse,  
ac proinde singularis valdè  
sanctimonix eum existisse;  
nunc per anacephalços in illud  
ipsum hïc iterum probabi-  
mus, idque ex quatuor præ-  
cipuè capitibus, quæ summa-  
tim, vt alia omnia, etiamnùm  
perstringemus.

2. Primùm, à die quo mo-  
nasticam vitam est amplexus,  
nullo tempore ab vlllo homi-  
num fuit vnquàm auditus,

*Nun-  
quàm  
con-  
queri,  
vel do-  
lere au-  
ditus.*

propter columbinam, quã  
multùm eminuit, puritatem,  
& simplicitatem, vel obloqui  
vel conqueri, vel dolere, quid-

quid

quid illi ( & in vitâ humanâ  
 multa eueniunt ) durum , af-  
 perumûe euenisset. Semper  
 sui similis, placidus, simplex,  
 ac quietus, atque ad quemli-  
 bet huius vel illius fortunæ  
 vultû animo inuictus. Quip-  
 pè qui nouerat Christianam  
 ac religiosam mentem casibus  
 istis aliquando impeti posse,  
 perdi non posse; concuti, non  
 euerti.

3. Alterum, quod æquè ac  
 illud prius admirandum, sen-  
 sus ita in cibis hebetes, ac vel-  
 ut mortuos habuit, vt de nul-  
 lâ re vnquàm vel fastidium,  
 vel nauſeam passus sit. Omnia  
 illi lauta, omnia opipara erant;

*Nun-  
 quàm  
 de vllâ  
 re nau-  
 seam  
 habuit.*

par-

paruumq; mucidi & furfurei  
panis frustulum , quasi Sa-  
liares epulæ ; ipsa autem frigi-  
da , dulcior Falerno, & Massi-  
co erat.

4. Tertium , insigne perfe-  
ctionis religiosæ specimen  
exhibet , eum scilicet animo *Nun-*  
miti promptoque , quidquid *quàm*  
fuit iniunctum continuò ob- *Maior-*  
ijisse , neque à Maiorum nutu *rum*  
imperij sue vel latum vnguem *impe-*  
vnuquam abijisse , vel ab ijs fe- *ria sub-*  
excusasse : vt vel hoc vnico *terfu-*  
præclariſſimo factò priscos *git.*  
Christi Athletas , magna illa  
veræ pietatis miracula , eum  
æquis passibus affecutum cen-  
sere debeamus.

*Nun-  
quàm  
aliquid  
pro se  
petijt.*

5. Demùm paupertatis (& hoc iam nunc fusiùs ostendemus) vixit amantissimus. Eam namque vti germanam sororem coluit, totoque vitę cursu solis in delitijs habuit. Cuius causã nihil à quopiam unquam poposcit, etsi plurimum maximè indigeret. Si autem sponte quid oblatum fuit, id quidem acceptavit, quantum illius penuriam patiebatur; aliàs religioni ducens quidquid erat vel vltimis digitis tangere. Cuius potissimùm virtutis adminiculo, arbitror illum ad magnum perfectionis, & sui neglectus gradum ascendisse. Nam sicut mortuæ

tuæ

tuxæ carnes , ne propter humorum copiam putrescant , salis acrimoniâ exsiccantur : sic se , suamque carnem non solum vigilijs , ieiunijs , laboribus , austeritatibus , domuit , & spiritui sine rebellione seruire compulit ; sed seueritate istius paupertatis , & abstinentiæ siccitate horrendum in modum castigauit , quæ aliàs fortè in nobis insitam mollietiem , luxumque facilè difflixisset. Quod nemini mirum debet esse , cùm ea sit carnis , animæque coniunctio , vt alterius vitijs alteram infici , & coinquinari quotidie videamus.

## CAPVT XVII.

*B. IOANNES ad Deum extremè  
indigens confugit.*

1. **A**ccidit quadam vice, vt  
stipe per ciuitatem co-  
actâ , domum ad meridiem  
B. IOANNES rediret, tem-  
pore quo Conuentus vnâ in  
refectorio erat , & frugaliter  
sobrieque Religiosi omnes si-  
mul naturæ satisfaciebant.  
Postquàm panem , aliaque  
mendicatò parta promo-con-  
do tradidit, rectâ, vt solebat ,  
tulit se ad Ecclesiam, Deum,  
donec Fratres finē refectiōnī  
facerent, oraturus. Vbi stans  
in



in hæc ad Crucifixum verba prorupit: Domine Deus, sup-  
plex, & ex animo primùm B. Io-  
annis  
ad  
Deum  
oratio.  
à te peto, vti flagitia, & quæ  
aliàs impiè admisi, mihi be-  
nignè remittas: dein si quid  
vel nimis confidenter, vel mi-  
nus debitè tuam fortè venio  
hic maiestatem hodie roga-  
turus, vti temeritatis istius  
me absolvas, neque id, quid-  
quid erit, pro postulato ha-  
beas, qui ne vitrea fracta mi-  
hi donata cupio, quæ tibi gra-  
ta acceptaque non sint.

2. Vides autem, quam ge-  
ro tunicam, vt à pedibus ad Habi-  
tum  
rogat.  
caput trita sit & lacera; ne-  
que modus millies sartam, &

refartam vltcrius eam interpolandi , vel gerendi : si tibi, quanquam adeò amplum beneficium nullatenus mereor , vlla mei cura est, oro, quæsoque , vti aliam , potes enim, mihi largiri velis. Neque frigoris arcendi , neque mei tegendi gratiâ donum hoc te flagito , qui probè memoriâ teneo te , ad columnam propter me , & vestibus exutum, & flagellis immaniter cęsum, vnde æquum vt ego pro peccatis meis in hoc, alijsque puniar, sed vt extremæ, quæ te non latet, huic meæ placeat, ex tuâ benignitate , indigentia succurrere.

3. Quæ quidem indigentia  
benè magna, ad eam tamen,  
tuâ gratiâ, ac beneficio, nul-  
lus verecundor, quin glorior,  
magnasq; mihi numero for-  
tunas vestibus, alijsq; rebus  
omnibus posse carere. Bone  
Iesu, fac, precor, tuam istam  
dignè semper imiter egesta-  
tem, utq; immania illa, quæ  
in arâ crucis meï causâ pas-  
sus es, supplicia nunquam  
memoriâ meâ excidant, ne  
tam effusus amor propter  
mea peccata, vel ingratitu-  
dinem, veniat mihi vnquam  
in iudicium, pœnam vel rui-  
nam.

## CAPVT XVIII.

*Habitu à Deo miraculosè  
impetrat.*

1. **H**iscè, alijsq̄ue similibus  
B. IOANNES CHISIUS  
habitu à Deo flagitabat,  
quem, siue propter asperita-  
tem temporum, siue propter  
magnas tenuissimi Monasterij  
angustias, incitasq̄: haud fer-  
mè alio pacto putabat se in eo  
rerum cardine obtenturum.  
Quando Deus, qui vsque &  
vsque suorum curam gerit,  
ille, inquam, qui in finem ob-  
liuioni mendicos, & speran-  
tes in se habere non potest,  
preci-

precibus sui famuli liberaliter  
& benignè annuit. Siquidem,  
illo adhuc ita orante , astitit  
ad fores Monasterij vir ocu-  
lis , ore , vultu , toto denique  
corporis situ admodum ve-  
nerabilis , quem ostiarius ,  
quamuis seuerâ lege cauere-  
tur ne cui hominum Conuen-  
tus pateret, tempore quo Fra-  
tres reficerentur, tamen præ-  
ter consuetum morem, neque  
hactenus à se visum vnquam,  
neque aliàs notum simplici-  
ter , & bonâ fide in domum  
admisit.

2. Ille autem, vbi intra Af-  
ceterium fuit , sine mora , &  
circumspectione , rectâ ad  
sacram

sacram ædem profectus est ,  
 stetitque sub gradibus , qui-  
 bus ad odæum ascenditur, vn-  
 de Beatus ille suas solebat in  
 cælum preces mittere. Ad  
 quem simul ac peruenit, Hos,  
 ait, paucos nummos , Frater,  
 pro illius, quem colis, amore;  
 in tuum vsum , ac necessita-  
 tem à me , quæso, lubens, &  
 volens iam nunc accipe. Ne-  
 que pluribus , cum porrectâ  
 manu tres aureos dedit , sta-  
 timque festino pede indè ab  
 illo recessit. B IOANNES plu-  
 rimùm super istiusmodi pro-  
 digiosâ donatione obstupe-  
 factus , vbi se ab oratione in  
 pedes crexit , hominem eue-  
 stigiò

*Tres  
 aureos  
 miracu-  
 losè  
 recipit.*

stigiò conatus est subsequi ,  
cupidus scire quis ille esset , à  
quo tam largâ , tamque libe-  
rali eleëmofynâ ita insperatò  
donatus fuerat.

3. At ille, postquàm ad clau-  
strum peruenerat, momentò  
ab omnium oculis euanuit ,  
neque vsquàm amplius con-  
spici potuit : quem vel Chri-  
stum , vel ex Angelis aliquem  
fuisse neque ipse, neque fami-  
liarium alius vllus meritò  
postmodùm potuit dubitare.  
Quare producto nummo ,  
quo iam donatus erat , & ac-  
ceptâ à Priore benedictione ,  
Ordinis habitum , cuius mi-  
rum in modum egebat, Bea-  
tus .

*Quibus  
habi-  
tum  
emitt.*

tus Vir actutum sibi comparavit. Rarum diuinæ in suum famulum Prouidentiaæ argumentum , sicut de eâ benè sperantis singulare religiosissimi Viri testimonium.

## CAPVT XIX.

*Ticinum B. IOANNES à Generali mittitur.*

I. **B.** IOANNES tantis à Deo auctus beneficijs , ne quid ex suâ parte ad numeris omnibus consummati Religiosi apicem deesset, sedulam in dies dabat operam , quò animimum exquisitissimis virtutum flosculis excoleret , perficeret-



ficeretque; unde, ceu arbor irrigua, crescebat magis & magis de virtute in virtutem, mirabiles tum pœnitentiæ, cum alterius austeritatis fructus faciens. Neque dubitabant alij, idem institutum professi, ab illo benè, sanctè-que viuendi exempla petere, quem in religiosâ palæstrâ pugilem exercitatissimum, & vitæ Eremiticæ professorem integerrimum videbant: adeo vt. & ipse supremus Ordinis Præfectus putauerit, illius etiam manu, & operâ vten- dum, in re non parui ad Religionis statum, & splendorem momenti.

2. Nam

que rebus sacris vacarent.  
Reuerendissimus P. M. Guil-  
lielmus à Cremonâ, qui post-  
modùm factus fuit Episcopus  
Nouariensis, vir sanctissimæ  
vitæ, & clarus miraculis, tunc  
temporis clauum Ordinis te-  
nebat; vnde ad eum specta-  
bat sedulò prouidere, vt quàm  
optimi Religiosi ad nouam  
illam, & nobilissimam colo-  
niam mitterentur, ne ab aui-  
ta superiorum ætatum piè,  
& religiosè viuendi orbitâ de-  
flecterent; & vt in agris ne-  
gligentiùs cultis, aliquæ fortè  
spinæ inter lilia, zizania inter  
spicas, caput foras futuris  
temporibus efferre auderent.

3. Neque suo vir optimus, & prudentissimus defuit officio; plures enim ex melioribus Fratribus aliundè ad istū euocauit Conuentum, iussitque ibi sub rigidioris disciplinæ professione habitare: quos inter, ceu ducem & coryphæum, voluit quoque,

*Virg. 3. Haud equidem sine mente reor, sine numine  
Æneid. Diuum,*

proficisci hunc B. F. IOANNEM CHISIUM, vt suo exemplo, & vitæ perfectione, cæteros omnes, ad viam mandatorum Domini piè, constanter, & religiosè currendam animaret. Facta fuit eiusmodi euocatio anno 1338. quo

quo tempore non obscure colligitur B. IOANNES Papiam missus ex chronicis Reuerendissimi P. M. Iosephi Pamphili, Veronensis, & Episcopi Signiensis, qui eiusdem Ordinis, & instituti pius etiam fuit Religiosus.

CAPVT XX.

*Diuinitus duorum Martyrum sepulchrum agnoscit.*

1. **A** Gebat itaque Ticini B. IOANNES CHISIVS vniuersis, propter vitam ad omnem legem exactam, gratissimus; vbi inter plures sanctimoniâ celebres viros, qui

H

in

in eiusdem S. Augustini Ecclesiâ sepulturæ traditi sunt, constabat duos Martyres iam pridem illic quiescere, neque ex domesticis vel vnus erat, qui determinatè posset monstrare, versùs quam partem, terræ crediti fuissent. Et quia templi pavementum planè erat ex calce, vel aliâ ei haud multùm dissimili, nobili tamen, materiâ obductum, ideoque valdè pretiosum, & affabrè factum, verebantur Religiosi illud tangere, ne pavementi speciem, elegantiamque adulterarent. Interea loci assiduè crescebat ardor Martyrum illorum sepulchrum  
cog-

cognoscendi, quos meritis honoribus tum à se, tum à populo Christiano studiosè optabant coli, & excipi.

2. Cùm autem videret eiusdem loci Prior sacra illa lipšana neque requiri, neque reperiri posse absque certis, uti diximus, magnisq̃ue templi impendijs, putavit factu optimum B. IOANNEM ad se vocare, quem, sanctitatis causâ, ipse, alijq̃ue omnes, magni faciebant. Quo accersito rogavit, præcepitq̃ue Deum deuotè, & enixè oraret, uti placêret reuelare, in quo templi loco sacra beatorum istorum Martyrum cor-

pora terræ commissa essent. Cui B. IOANNES ex obedientiâ cum non posset non obtemperare, aliquos dies Deum deprecatus est, vti hoc ad maiorem sui gloriam, & Sanctorum cultum manifestare dignaretur; quibus precibus continuas quoque lacrymas, & quotidiana intermiscebat ieiunia.

3. Et ecce aliquot post diebus; dum medio die Fratres insimul pranderent, ipse solus ad Ecclesiam secessit, Deum, vti iam pluries fecerat, ardentè, & feruidè in hunc finem oraturus. Cumque orationi calidissimè inhæreret, illi tum  
tem-

temporis diuinitus reuelatum, & demonstratum est sepulchrum, in quo SS. isti Martyres iacebant: quæ res incredibilem beatissimo Virorum sepulchrum. tum corporis, cum animi lætitiã attulit. Vnde sine morâ, arrepto inter manus ligone, gaudens, & hilaris pauimentum perfodit, sub quo, vti à Deo intellexerat, sarcophagum beatorum istorum Martyrum reperit. Fratres autem, finitâ refectione, dum Deo gratias acturi, Religionis more, vnâ ad Ecclesiam eunt, ecce vident B. IOANNEM illud sepulchrum, quod tot votis, precibusque



optauerant videre , ita inuenisse , & aperuisse , ( quod in hoc facto prorsus quoque mirabile ) vt ne transuersum quidē digitum plus quàm opus erat de pauimento calce obducto violasset , dirupisset uē.

4. Signum reuerà non vulgare magnæ huius Beati ac religiosi Viri cum Deo familiaritatis , ne dicam confidentiæ. Neque enim audimus sacro eiusmodi thesauros diuinam bonitatem vllò vnquàm tēpore reuelasse , quàm ijs quibuscùm illa familiariter agere , & sua quasi arcaniora credere gaudebat. Sic B. Ambrosio , viro doctrinâ , pietate,

te,

te, & propagandæ Catholice Religionis zelo nulli planè comparabili, Beatorum Vitalis & Agricolæ, qui iam diu durum pro fide certamen obierant, sacras reliquias, ignoto ad illa tempora loco, latentibus demonstravit, ut publicis mactæ honoribus à populo Christiano deinceps iusto in pretio & veneratione haberentur. Sic alia & alia siue Martyrum, siue Confessorum sacra ossa diuersis sanctissimis, & Deo gratissimis viris cælitus aliquoties detecta, quæ pluribus recensere neque nostri instituti, neque huius loci est.



CHISIVS, *ut Phœnix, diuino tostus ab igne,  
Cinnameas animam reddidit inter opes.  
Nā Dei amara legens tormēta, absumitur astris;  
Non poterat fato nobiliore mori.*

CAPVT XXI.

*Senis B. JOANNES piè admodùm  
ex hac vitâ decedit.*

I. **H**Audita ab his multò interiecto temporis spatio, B. IOANNES, diuinitus, vt vero simile est, sui præsciùs ex hoc mundo discessûs, quæsiuit à Generali, daret facultatem Senas redeundi, vbi vitæ debito, ita præuidebat, breui finem facturus erat. Quod satis ex facili obtinuit: quippè qui à pluribus annis in ore, & animis omnium Patrum, maxime verò Generalis erat. Quare

*Redit  
Senas.*

re habitâ istiusmodi licentiâ  
Senas repetijt , sibi semper si-  
milis, id est, semper pius, pla-  
cidus , ac orationi , alijsque  
religiosæ professionis munijs  
apprimè intentus.

2. Quò postquàm aduenit ,  
statim illi de nouo antiqua de-  
mandata est prouincia , age-  
ret nempè denuò ædituum ,  
eorumque omnium , quæ ad  
templum , & res sacras perti-  
nent, solitam curam haberet.  
Quod non minùs strenuè ,  
quàm libenter fecit , ad Dei  
Optimi Maximi honorem ,  
ad sacrosanctæ Fidei nostræ  
cultum , & Religionis reue-  
rentiam. Satis tamen paucis  
diebus

*Infir-  
matur.*

diebus eiusmodi officio perfunctus est : primò enim minùs commodà cœpit vti valetudine ; mox illâ ingrauescente , acriter inter vitæ , mortis-que dubietatem colluctari.

3. Quapropter tempestiuè aduocato Sacerdote , quidquid noxiarum contraxerat , eius in aurem cum exactissimâ diligentia , & animi mœrore maximo aperuit , petijt-que , eodem quasi momento , sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta sibi ritè administrari. Atque his ita expletis , viribusque corporis paullatim deficientibus , atque Missali ad se , vti rogauerat , allato ,  
sup-

suppliciter petijt , Religiosi ,  
qui præsentés erant , paullu-  
lùm à se recederent. Cumq̃ue  
solus remansisset , surgens è  
lectulo induit se sacro Ordinis  
habitu, eâ facilitate, & prom-  
ptitudine, ceu nullâ infirmi-  
tate laborasset. Mox genibus  
flexis , proiecit se super nu-  
dam humum , brachijs fere-  
tro, quod inibi erat , innixus,  
coepitq̃ue plurimis vbertim  
manantibus lacrymis , &  
summâ cum animi amaritu-  
dine , fatis altâ , & clarâ voce  
ex Missali legere Passionem  
Domini secundùm Lucam.  
Quâ pænè integrâ perlectâ,  
verbisq̃ue illis , *In manus tuas,*  
*Domine*



*Domine* , commendo spiritum  
*meum* , enuntiatis , quidam ex  
Conuotis , ei que familiaritate  
& amicitia præcipuis , subito  
casu cubiculum , in quo iace-  
bat , ingressi , viderunt illum  
supra feretrum beatissimam  
animam suo Creatori , placi-  
dissimâ , & quietissimâ morte  
reddere , anno qui fuit à Chri-  
sto nato M. CCC. LXIII.



## CAPVT XXII.

*Sexto ab humatione mense corpus  
B. IOANNIS integrum,  
& incorruptum fuit  
reperitum.*

1. **S**IC exactissimus patris sui  
Augustini, Ascetarum  
longè maximi, imitator &  
cultor eximius, B. IOANNES  
CHISIVS, post absolutum in-  
tegerrimæ, & perfectissimæ  
vitæ cursum, ad immortales  
in cælo coronas profectus est,  
pro momentaneis laboribus  
vigilijsque & austeritatibus,  
quæ hîc lætus, lubensque  
multa variaque pertulit, nun-  
quàm

quàm intermoriturâ gaudiorum , opum , & voluptatum æternitate donandus. Phœnici vt in vitâ , ita & in morte simillimus. Vt enim ille

*nec fruge , nec herbis ,*

*Sed thuris lacrymis , & succo viuuit amomi ;*

ita B. Ioannes propemodùm neque pane , neque alio cibi genere , sed lacrymis , seuerioribusque pœnitentiæ , & diuinæ contemplationis succo vitam suam omnem sustinuit : quam demum , sicut Phœnix inter casias , cinnama , & myrrham , ita inter fragrantissimos Dominicæ Passionis odores finijt , quæ super

Quapropter nonnulli arden-  
tes beatissimi Confratris sui  
corpus adhuc semel videre ,  
conuenerunt terram tumulo  
egerere , illoque in apertum *Post sex*  
producto adhuc semel ad sa- *menses*  
tietatem frui. Et ecce post sex *corpus*  
mensium spatium , corpus *B. Ioan-*  
humo eductum ita solidum , *nis in-*  
vegetum , & intactum repe- *tegrum*  
rerunt , ac si planè eo ipso die *reperit*  
fuiſſet priùs ſepulturæ credi- *ũ*  
tum. Quare poſtquàm abun- *fuit.*  
dè contemplati ſunt , denuò  
lotum , & à terrâ mundatum,  
alteri ciſtæ illud impoſuerunt,  
modicumque deſuper, Chri-  
ſtiano ritu , aggeſtâ terrâ ,  
non ſine gaudio, lacrymiſque  
I clarâ

clarâ luce iterum tumulto reddiderunt.

3. Quæ vniuersim hætenus hîc dicta , aliaque plura ab eo prætermiffa , qui vitam hanc conscripsit , primùm ex Beati huius Confessoris , dein alterius præ alijs illi familiaris & chari , tum plurium aliorum ore , omnia bonâ & integrâ fide excerpta sunt; quos inter quatuor fuerunt , qui beatum Corpus ex conditorio , in quo à morte integros sex menses iacuerat , extulerunt , illudque ablutum , ac defletum denuò inibi terræ reposuerunt. In quibus egregia vitæ Religiosæ integerrimè

*Ord. Eremit. S. Augustini. 135*

mè & sanctissimè peractæ  
apparent exempla, eò cuncta  
veriora, quò ab annis pluri-  
bus sine vlllo verborum orna-  
tu fucoué à Viro item sancto  
posteritati mandata sunt.

F I N I S,

*Ad maiorem Dei Optimi Ma-  
ximi, intemeratæ Matris, S. P.  
AVGVSTINI, Sanctorumque  
omnium gloriam.*

I 2

Fa-

## Facultas Prouincialis.

**C**VM vitam B. IOANNIS CHISII à Maciaretto à se lectam approbet R. P. IOANNES MANTELIUS Sacræ T. Licentiatus, & Ordinis Eremitarum S. P. AVGVSTINI per Prouinciam Coloniensem Visitator, & dignam prælo censcat, nostrâ licentiâ imprimetur, quam eò concedo libentiùs, vt hoc modo duplex tam illustris familiæ Chisianæ adeò micans radius, ipse videlicet B. IOANNES CHISIUS Ordinis Eremitarum S. P. AVGVSTINI, ac Reuerendissimus & Illustrissimus D. FABIVS CHISIVS Episcopus Neritonensis & ad tractum Rheni Nuntius Apostolicus, pluribus lucere peigat, & influere. Dabam Antuerpiæ VIII. Idus Martias, Anno MDCXLI.

*Ioachimus Brulius eiusdem Ordinis & Prouincia Prior Prouincialis.*

APPROBATIO.

**E**X commissione Reuerendi & Eximij Patris Magistri Ioachimi Bralij S. T. D. Ordinis nostri Augustiniani Prioris-Prouincialis, perlegi librum vite B. Ioannis Chisij à Maciaretto: in quo; quia virtutes in quauis historia maximè sacra requisitas manifestò deprehendi, veritatem, explanationem; iudicium; dignissimum censeo qui proeli beneficio ad Reuerendissimum & Illustrissimum Nuntium Apostolicum redeat; veluti riuus ad suum fontem. Adeò nihil in eo est quod meritò quempiam offendere possit. Antuerpiæ 7. Martij. 1641.

F. Io. Mantelius S. T. L.  
Prouinciæ Visitator.

---

Vita B. IOANNIS CHISII vtiliter imprimi poterit Actam 13. Martij 1641.

Gaspar Estrix lib. Censor.

---

---

ANTVERPIÆ,  
Apud Henricum Aertflens,  
Anno MDC. XLI.

---

---











